



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

§. 2. Providentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](#)

turam deliberationem , qua actionem e-
jusque circumstantias circumspecte per-
penderimus : in ipsâ vero actione , quam
post maturam deliberationem exercemus ,
non hæreamus , non interpellamus illam
parergis , sed uno & continuo ductu perdu-
camus cito & sedulo ad finem : cuius Ra-
tio satis patet ex principiis nostris Ethicis .

§. 2. *Providentia.*

Ex circumspectione naturaliter conse-
quitur Providentia : cum enim dili-
genter consideramus circumstantias actio-
nis exercendæ (quod circumspectionis Of-
ficium est) facile enim videmus , quod ex
actione nostra , tum circa nos ipsos , tum
circa alios homines emanare possit : (quod
Providentiæ munus est .)

Inter Providentiæ partes facile prima
est cavere Scandalon . *Scandalon* vero non
est aliud , quam occasio peccandi sumpta
ex alterius alicuius actione : ut si alicui
convitium facias , ille vero inde irritatus
& excandescens aliis te adoriat , ad ma-
nus & ferrum veniat : hic illa tua actio ,
qua convitium fecisti , Scandalon est .

Scandalon dividitur in datum & acce-
ptum . (Theologi illud infirmorum , hot
vero

vero Scandalon Pharizæorum vocant)
Scandalon datum , est Scandalon prove-
niens ex culpa ejus , qui illud ponit : ut
invitatio , adhortatio & compulsiō ad po-
tandum & evacuandum scyphum unde al-
terius ebrietas sequatur. Scandalon acce-
ptum est Scandalum sine culpa ejus , qui
illud ponit , & tantum cum culpa ejus , qui
accipit illud : tale erit si vir probus hone-
ste se in omnibus gerens , adeoque quam
plurimis hominibus , quibuscum agit dissi-
miliſ , incidat in odium & sævitiam ipso-
rum : honestas enim ejus viri & innocen-
tia est illis Scandalon seu occasio peccan-
di , sed occasionem , quam illi accipiunt ,
vir bonus illis non dedit ; debet ergo vir
bonus sibi cavere à Scandalis prioris gene-
ris : cupit enim quam maxime Deo & Ra-
tioni obtemperari , non à se modo , verum
etiam à quibusvis aliis : unde cautissime
semper providet , ne quam alii homines ex
ejus actionibus honestis licet & bonis , ar-
ripiant occasionem peccandi ; unde sæpe
quædam omittit , quæ alioqui facere ei in-
tegrum foret , quando videt positurum
inde Scandalum. A Scandalis vero poste-
rioris generis , quæ meræ ex accipientium
nequitia proveniunt , cavere sibi vir bo-
nus non debet , sed merito negligit illa :
nempe

nempe totam sibi alioqui Rationem & legem Dei deserendam esse novit, si ea cavere velit.

§. 3. *Discretio.*

Discretio est pars prudentiae subtilissima, quæ versatur circa distinguenda ea, quæ prima fronte & vulgari judicio aut eadem, aut admodum affinia sunt: interquæ tamen discrimen Ethicum permagnum est, eo quod alterum eorum bonum, alterum malum sit.

Et in hoc genere occurunt primo commissio & permisso: quæ sæpe populo videntur esse ejusdem Rationis ac naturæ: cum tamen multum inter se differant: sæpe enim permettere licet, quod nulli committere licet: V. G. si tyrannus petat sibi tradi innocentem à republica; ni tradatur, excidium minatus: non licet reip. obediere & innocentem tradere (hoc enim esset committere & Tyranni sævitiae cooperari) licet tamen permettere ut Tyrannus innocentem illum per suos satellites capiat (hoc enim tantum est permettere ut innocens capiatur, quod cum tanto incommodo & innocentium clade Resp. non teneatur integrare.

Ut